

1890.



25 27
ORDINIS MEDICORVM
IN VNIVERSITATE LIPSICA

H. T

PROCANCELLARIVS
D. ANTONIVS GVILIELMVS PLAZ

THERAP. P. P. ORD. FACVLT. MED. DECANVS.

ACADEMIAE ET NATION. SAXON. SENIOR, DECEMVir, MAIOR.

PRINCIP. COLL. COLLEGA, ACAD. IMPERIAL. NATVR.

CVRIOS. SOCIYS

PANEGYRIN MEDICAM

AD D. XVII. MAII A. R. G. MDCCLXXVI.

INDICIT

DE IVRIBVS MEDICORVM PRAEFATVS

ORDINIS MEDICORUM
IN UNIVERSITATE LIPSIACA

PROGNOSTICUM
D. ANTONII WILLHELMI PLAZ
OVIDIVS Fastor. L. VI. v. 36.

Hic honor, an nobis inuidiosus erit?

DE PRINCIPALIUS MEDICAM

AD D. KARL MAHL A. T. G. HUGGERSHYN

INDICIT

DE PRINCIPALIUS MEDICORUM PRÆSENTIVS



Magna utique felicitatis et tranquillitatis publicae in eo posita est pars, ut societatum facta et intemerata praestentur vincula, ut mutuum, sine quibus publica res diu salva persistere nullo modo potest, officiorum commoda, quovis modo iuventur, atque quilibet ad opem aliis ferendam, tum praemiis exciterur, tum legum etiam, si opus fuerit, rigore compellatur. Quo morosius enim et obscurius quilibet sibi tantum vixerit, eo minus et sibi et aliis vivit, neque suis necessitatibus facturus satis, neque aliis amabilis aut utilis futurus, neque aliorum vicissim opem speraturus, ipsorum potius adiutorio indignus. Neque tamen etiam e contrario, plus quam decet atque licet, quidquam negotiorum ita suscipiendum est, ut aliorum circuli atque ordines

IV

dines temere conturbentur, atque intempestiua indecentue *πολυπραγμοσύνη*, tam sub officiositatis larua recondita, quam etiam lucri furripiendi speciem habente, concordiae non solum, verum etiam ipsi commodo, publico pariter ac priuato officiat. Inde est, quod nemini liberum esse debeat, alterius labores atque opificia turbare, atque officinas adulterinas clandestinas, vti vocantur, (*Pfuschers Werkstätte*,) instruere, cum cuiuslibet suum, quo vitae necessitates et commoditates, publica autoritate, atque titulo vtplurimum oneroso, sibi aliisque parat, viuendi genus, ab omni iniquioris violationis attentatione tutum praestandum sit. Sunt quidem omnibus hominibus communia nonnulla iura atque leges, a natura ipsis datae, atque omnibus etiam sine discrimine seruandae, quibus potissimum suum cuique tribuendum praecipitur, neutiquam tamen omnium iniquitatem grauius fatis coercentes; quapropter, quae ad proprias et indiuiduales immunitates pertinent, non ex naturae principiiis, non semper particulariter applicandis, petendae, quin potius cuiusuis conditionis circumstantiis accommodandae sunt, utpote ipsi vel vltro conuenientes, vel a superioribus condendae, atque immunitatem, varia negotia libere et priuatiue exercendi stabiliens. Talia iura, opificum, artificum, negotiatorum cet. societatibus competentia, a magistratu non solum concedenda, verum etiam, officio eius ita ferente, facta atque inuiolata seruanda, atque quo minus a temerariis turbatoribus procacius corrumpantur, seuerissima autoritate protegenda sunt. Sunt praeterea alia etiam, cuius aetati aut sexui iura, qualia mulieribus competunt, aut quae ad grauidas pertinent, aut quae impuberibus, minoribus, illisue, quibus animi status integer haud est, prou-

provident; et quae sunt plura immunitatum genera, copiosius hic haud exponenda, ad iurisconsultorum, magis quam ad medicum forum pertinentia.

Ipsi tamen etiam medici nequiquam omni iure carere censendi sunt, quo, sibi solis proprio, prae aliis emineant, et cuius utendi libertatem, vna cum summis honoribus tributam, possessiua et priuatiua immunitate sibi vindicant. Non illud, quod impudentissimi medicastris sibi friuole sumunt, vitae et necis ius puto, quo impune in vitam et sanitatem aliorum desaeuendi sibi arrogat licentiam, quae ab artis cauillatibus, omnibus medicis immerito obiicitur; tales potius commemorare lubet praerogatiuas, quae ex ipsius medicae artis nobilitate, atque ex honorifico medicorum officio sponte fluunt, ipsorumque eminentiorem dignitatem comprobant. Nonnulla medicis cum iurisconsultis communia sunt iura, dum utrisque incumbit, in variorum factorum civilium et criminosorum, tam physicas quam morales causas, coniunctim inquirere, de signis puritatis, virginitatis, grauiditatis, stupri, letalitatibus vulnerum, infanticidii, morborum simulatorum, e. f. p. et medice et legaliter discernere, semper tamen potiora sunt in his momentis medicorum iura, utpote quibus competit, ante omnia in obiectorum veritatem inquirere, atque argumentis indubitatis, vel certe summe probabilibus pronunciare, quid de illis, quae sibi commissa fuerunt, medice sentiendum sit, quo demum facto, iudici forensi certiora, sententiam ferendi subministrantur subsidia, adeo, ut solae medicorum relationes, a iurisconsultis in formam legalem tantum sint redigendae, quibus deficientibus, illegalitas et nullitas factorum et inquisitionum, a causarum patronis, in

clientum et reorum fauorem facile vertitur. Non ego quidem plenam omnibus omnium medicorum renunciationibus, *) opinionibus, atque argumentis, concedendam contenderim fidem, cum non solum variae sint, neque semper satis probatae, quibus nonnulli constanter nimium fauent, hypotheses, praeiudicia, arbitraria theoremata, secundum quae, vel euidentissima facta dubia reddere student, verum etiam inter defensores non deficiant, qui medicorum autoritate, atque obseruationibus, ingeniosissime applicatis, ratiociniisque miro modo contortis, causas suas exornare, atque iudices in suas partes flectere tendant; his tamen medicorum subtilitatibus et argutis nugis, nihil plane valoris inesse, nullumque, quod medicorum tueatur eminentiam, inde peti posse fundamentum, per se patet; cum vero peritorum atque ingenuorum virorum decisa, non obstantibus aliorum obiectionibus, aut in contrarium adductis argumentorum et exemplorum incongruorum cumulis, aut sponte vt vera cognoscuntur, aut a Collegiis medicis confirmantur, medicorum omnino, in variorum factorum corroboranda certitudine principatum, haud vlllo modo in dubium vocari posse, opinor, quorum deinde demum autoritate fit, vt iudici forensi, medicis rationibus suffulto, iustissimam, et omni exceptione maiorem ferendi sententiam, facultas detur, tanto minus ampullosis defensorum deductionibus superstruendam, quanto saepius ex rarissimis casibus, vniuersales stabilire conantur regulas, adeo, vt haud raro, quae decidendi vim habere credebantur argumenta, rationum dubitandi vicem sustineant, omnique pondere carere intelligantur.

Lati-

*) Qua de re iam a me expositum fuit, in *Programmate de vincibilibus medicorum secantium erroribus*, anno 1775. edito.

Latius vero adhuc, medicorum patientiura, ipsorum principum iuribus aliquo modo superiora. Est omnino cunctis principibus magna in subditos suos potestas; moribus civium imperant, censum exigunt, quinimo in ipsorum vitam imperium tenent; est tamen arctis admodum limitibus haec dominandi potestas circumscripta, qua suis tantum provinciis mandata dare concessum est; medicis autem *uniuerso orbi* imperandi competit ius, per omnes terras penes ipsos et ius et norma dicendi est, a nemine ad huc in dubium vocata. Barbarae licet, et ab omni prope modum humanitate remotae nationes, medicorum tamen parent imperiis, ipsorumque iura cupiunt esse sanctiora; moratiores vero populi, nullo non tempore, haec iura intemerata et coluerunt, et quam reuerenter medicos haberi oporteat, plus uno illustri documento comprobaverunt. Sic populus romanus, IULIO CAESARE ita statuerunt, medicos civitatis iuribus donavit, *) in Saxonia, medicos quaestori electorali praefereandos esse, a Scabinis iudicatum fuit, **) non minus, medicum inuitum, ad suscipiendam tutelam haud cogi posse, iurisconsulti professi fuerunt, ***) alia nobilitatis, galeae apertae, insignibus superponendae, gladii gestandi, e. s. p. iura ut praeteream. Tanta vero medicorum iura, omni principum dominio superiora, hac de parte sunt praestantiora, quod *ipsis principibus* quoque liberrime imperent medici. Nemine quippe licet, principibus mandata dare, neque cuiquam liberior ad

*) SVETONIUS in *vita Caesaris*, cap. 42.

***) Hoc Scabinorum electoralium decusum, habetur apud VALENTIN. Tom. I. *Pandectarum medicolegalium*, pag. 520.

**) Vid. MODESTINUS Libr. VI, §. I.

ad principes patet aditus, nisi qui summorum patronorum auctoritate suffultus, veniam coram ipsis comparendi fuerit nactus; medico autem quotidie fores patent, huic per medios ire satellites licet, hic non mandata accipit, grauioribus potius monitis, si quando aduersus praecepta medica erratum fuerit, sui officii iura strenue tuetur, absque timore hortatur, quidque factò sit opus, iubet: *) *iubere* enim, olim iam fuisse medicorum iuribus proprium, ex comico constat, dum medico consilio praecipitur:

*quod iussi, ei date bibere, et quantum imperaui, date. **)*

Et quidem hoc maximo iure faciunt medici, utpote quibus vita et sanitas humana, qua maius dici aut cogitari haud potest beneficium, seria vigilantia conseruandum, concredita est, cuius iuris necessitatem QVINTILIANVS proficitur, *nullam inquires rem tam necessariam omni hominum esse generi, quam medicinam. ***)* Haec medicorum iura, hanc auctoritatem, ipsi principes maximi olim fecerunt, atque praemiis fuerunt profecuti. Artaxerxes, Persarum rex, Hiscani, Hellepontipraefecto, mandauit, ut Hippocratem, quibuscunque modo posset praemiis, ad se inuitaret. Ita vero medicis omnes subiectae sunt stationes, aetates, sexus, dignitates,

*sive reges,
sive inopes fuerint coloni.*

Hoc autem, quod in alios medici habent, iure, *in se ipsos* quoque admodum apposite uti didicerunt. Est quidem omni

*) De his medicorum iuribus solide exposuit b. HEBENSTREITIVS, in Programm. *de obsequio principum erga medicos*, Lips. 1755 edito.

**) TERENTIUS in *Andria*, Act. III Scen. 2. v. 4.

***) QVINTILIANVS *Declam.* CCLXVIII.

omni homini, maxime vero eruditis, plenissima semper, liberrime sentiendi et dissentendi potestas, nusquam vero prope modum crebrior atque grauior, quam inter Machaoniae artis administratos, cuius ita saepe deprehenduntur tenaces, ut Herculi citius clavam, quam infallibilitatis praedudicium, nonnullis medicorum extorquere possis. Est in opinionibus stabiliendis cuiusvis independens potestas; nullis hac in re medicus subiectus est praecipis; suae ipsi sufficiunt sententiae, suis quilibet nititur axiomatibus, ab omni legum, quarumcunque demum, norma atque rigore immunibus. Vix tanta est imperatori bellico autoritas, militum agmina coordinandi, atque ex tot numerosi exercitus turmis aciem instruendi, quanta medicis omnitempore fuit, innumeras cohortes in suorum dogmatum partes trahendi potestas. Testantur adeo multae, multisque subinde affectis locupletatae, dogmaticorum, empiricorum, methodicorum, metasyneriticorum, pneumaticorum cet. sectae, quanta iam olim fuerit medicorum potestas, ingeniosis persuasionibus, fucatorum argumentorum insidiosis laqueis, speciosis nouorum dictaminum phaleris, insignem sibi discipulorum et propugnatorum comparandi numerum, tanto cum feruore, tantaque cum constantia aduersus secus sentientes decertantium, vt incruenta quidem, acerrima tamen, scriptis dictisque gesta bella, quantum fuerit medicorum imperium, manifeste admodum comprobent. Neque hanc, in variis sectas, in omni disciplina medica discedendi potestatem, sequioribus et recentioribus defuisse temporibus, multis haud opus est corroborare argumentis, cum adeo luculenta super hac re affatim prostent scripta testimonia, ex quibus intelligi possit, quanta cum contentione quilibet suam, sibi possessionis et autoritatis iure arrogatam, de rebus medi-

cis sentiendi licentiam, propugnare studeat, cuius asserti
 veritate, exemplis illustranda, ne quid odii habere videat
 tur haec scriptiuncula, lubens superfedeo. Non quidem
 hanc, miras saepe atque inauditas opiniones conden-
 di, atque acerrime defendendi propensionem, ab aliarum
 scientiarum prorsus abesse cultoribus, manifestum est, dum
 theologis et iurisconsultis suae sunt hypothefes, dogmata,
 praeiudicia, interpretandi artificia, inconcussis tamen sa-
 crorum librorum fundamentis, regulis hermeneuticis, prae-
 ceptis exegeticis, aut legibus, constitutionibus, decretisque
 valde limitata; medicina vero, in qua quotidie noui quid,
 tam secundum, quam praeter naturam contingere depre-
 henditur, vel contingere posse existimatur, nullis plane
 hac in re paret legibus, ideoque solius medici ingenii vber-
 tas, liberrime hic dominatur, arbitraria principia fingit,
 conclusiones sibi placentes format, quaecunque eueniunt,
 non prout contingunt, sed prout contingere *optantur*, ad
 causas non semper conuenientes reducit, atque liberrima
 cum constantia, sententias suas tuendi iura sibi vindicat,
 ipsique rationi subinde principatum eripere tentat. Sed,
 non semper intra solius theoriae cancellos iura medicorum
 continentur, magna potius in praxi etiam, ipsorum est li-
 centia. Esse debet medicis sua praescripta norma, princi-
 piis artis rationalibus conformis, ad cuius ductum, et mor-
 borum causas disquirere, et diiudicare, ipsarumque tristi-
 res effectus, quantum per artem licet, auertere conuenit;
 quae medendi ratio, per experientiam suffulta, etiam si ne-
 que paedantico rigore sit administranda, neque uniuersa-
 lem, omnes morbos eodem modo sanandi praecipiat me-
 thodum, haud quaquam tamen solius arbitrii res est, ut-
 pote cum medico, tam naturalium quam praeternatura-
 lium

lium mutationum, Iustratori quidem atque ministro esse liceat, ab imperio tamen in naturam, humanis ausibus rarissime obsequiosam, sollicitè abstinendum sit. Quotusquisque vero est, quin sciat, atque quotidianis propemodum edoceatur exemplis, quam lubenter medicorum nonnulli, cum artem supra naturam quandoque valere intelligant, uniuersalem inde sibi regulam formantes, omnia sub folius artis dominatum vocent, atque naturae molimina pro suo arbitrio dirigere, accelerare, aut retardare tentantes, morborum tum impetuosiore exacerbatione, tum etiam intempestiua suppressione, iura quidem sua, sed in quo magis titulo, neque sine aegrorum damno, tueri contendunt? Hanc tamen, et morbos faciendi, et ipsorum tarditati stimulum addendi potestatem, neutiquam in uniuersum probrosam esse, quin potius ad iura medicorum, per morbos etiam sanandi, pertinere, vix quisquam prudentior diffitebitur, dummodo perpendatur, quam saepe sit opus, vt ad perniciosiorem variorum morborum, aut symptomatum saltem accessum praecauendum, aut ad praesentium vim augendam, vehementiores in corpore humano motus excitentur, atque dolosae nonnullarum causarum, nondum satis euolutarum segnitiei, variorum excitoriorum ope, calcar addatur. Nulli, cuiusque demum, competit ius et licentia, dolores excitandi, inflammationes inducendi, vulnera faciendi, febres prouocandi, ferro et igne vtendi; medico vero haec sola data est potestas, impune secandi, vrendi, mutilandi, amputandi, suaeque crudelioris immunitatis amplissimas laudes ferendi, largissimamque praeterea mercedem poscendi. Est porro etiam medicis in uniuersam rempublicam ius datum, quo in communi omnium ciuium sanitate vigilantissime custo-

dienda vtantur, dum quicquid caufarum, publicae falubritati noxiarum, quocunq; demum modo imminere, vel iam accessum minitari intelligunt, et indicandi autoritatem, et amoliendi potestatem habent; quicquid enim fufpectarum rerum, ad vitae neceffitates, aut commoditates etiam fpectantium, publice apportatur, medicorum fubiiendum eft iudicio, quo, an ad civitatem admitti debeant, nec ne, decernendum eft, in quibus mercibus difquirendis, et, fi reprobae damnosaeue fuerint, reiiciendis, fola medicorum valent decifa, quibus cupientibus, magiftratus demum fua vtitur autoritate, atque medicorum confiliis, legum ope, maiorem vim conciliare tenetur. Haec iura, nifi medicis falua fuerint, nifi monitis ipforum obfequium praeftetur, a morbis epidemicis, contagiofis, idque genus periculis, per communes caufas ad plures tranfeuntibus, nunquam fecuri viuere poterunt ciues, fola medicorum vigilantia et autoritate, a tantorum difcrimino metu atque trifterioribus effectibus liberandi. Ifta vero, ad publicam rem pertinentia iura ipfas quoque privatas res refpiciunt, variis variisque modis medicorum dignitatem confirmatura. Etiamfi nempe in aliorum res domesticas nullum ipsis competere videatur imperium; tunc tamen vel maxime tribuendum eft, cum de culinif et mensis aegrorum, vel ad aegritudines difpofitorum, aut ex morbis convalefcenrium, apte adornandis, praecipendum eft. Non folus hic dominatur coquorum aut coquinarum ordo, ciborum, ad palatum quidem, atque fecundum artis coquinariae regulas aptiffime parandorum, peritiffimus; fed, cum folae lautitiae, per fe forte licet omnium affenfum promeriturae, ad omnium tamen fanitatem ftabiliendam haud quaquam fufficiant, quin potius difpiciendum fit, an, et fub quibus conditioni-

ditionibus conducant, judiciola omnino medici autoritas, qualibet ingeniosissima artificum dexteritate superior existimanda videbitur. Penes hunc adeoque erit pronunciare quales cibi potusque, arthritico, asthmatico, calculoso, plethorico, hypochondriaco, ascitico, hystericae, e. s. p. indulgendi, et quomodo praeparandi sint, qualis in motu corporis, in somno capiendi, in aeris vicissitudinibus tenenda sit viuendi ratio, plus omnino, quam omnis medicamentorum apparatus, efficaciae habitura; his mandatis, non raro propter circumstantiarum necessitatem admodum rigorosis, maxima cum accuratione obtemperandum est; his obsequium si renuatur, verendum omnino est, ne immorigeris et morosis, quam parum impune medicorum sese subtrahere liceat imperio, non sine irreparabili saepe damno perentiscendum sit.

Non tamen circa solum corporeum aegrorum statum, et disquirendum, et dirigendum, iura medicorum versantur; est ipsi in humanas *mentes* quoque datum imperium, quandoquidem non solum de statu morali mente captorum, atque recto rationis usu priuatorum, aut amentium etiam simulantium, iudicandum est, verum etiam plena medico competit potestas, cuncta, durissima quoque adhibendi adminicula, quorum ope, si quidem lenioribus nihil profici potuerit, ad saniozem reducantur mentem, qui praeter humanam formam, nulla humanitatis dare possunt documenta. Vix enim, etiamsi argutissimo atque subtilissimo philosopho, quantum humana ratio valeat, quanta cognoscendi iudicandique sit facultas, explorandum committatur, tanta videbitur habenda fides, quanta medico

de humanae mentis conditione decernenti tribuitur, neque etiam grauissimis sapientissimisque persuasionebus, ratiocinationum et argumentorum inconcussorum ponderibus, aliisque quibuscumque demum philosophicis praesidiis, vix tantum proficietur, quantum per medicorum varia, mentem conturbatam ad pristinam tranquillitatem reducendi adminicula, non raro praestitum fuisse, frequentissimis observationibus constat, dum praestantissimis quoque theologicis armis incautum tentatis, solius medicae artis apparatus, non omni efficacia caruisse deprehensus fuit. Nunc enim contrariarum idearum diuerticulis, obiectorum amoeniorum vicissitudinibus, dolorosis etiam urticationum, vesicatoriorum, similibusque remediorum auxiliis, imo verberibus, idque genus durioribus medendi modis, soli medico concessis, contumacioris desipientiae, atque imaginationis corruptae, corrigendus est status.

Neque porro, ut plura taceam, in viuos tantum, plena medicis patet licentia, neque vna cum morte, officium et potestatem medicorum desinere, existimare conueniet. Praeterquam enim, quod signa mortis, in dubiis potissimum casibus, a medicis sollicitè sint exploranda, neque nisi horum sententiae fides habenda sit, ipsa quoque demortuorum cura, eam ob causam ad medicos quam maxime pertinet, ut ne ex improvida ipsorum expositione, aut negligentiore humatione, vniuersae reipublicae pestifera inducantur damna; qua de re, utpote ad communem ciuitatum salubritatem summopere necessaria, copiosius hic disserere haud est opus, cum alio iam tempore, huius iuris ex instituto a me factam fuisse mentionem, meminerim.

rim. *) Hoc ipsum, in mortuos, aut pro mortuis etiam habitos ius, tunc omnino est illustrius, cum laqueo suffocati, aut sub aquis submersi, subitaneis auxiliis, si quidem per artem licuerit, ad vitam reuocandi fuerint; ita enim, absque famae detrimento, cuiuslibet, maxime vero medico, utpote hac in re peritissimo, non solum plenum est ius, ista corpora ilico curae suae subiiciendi, verum etiam, quod in compluribus prouinciis, atque nostra quoque Saxonia, sapientissimis gratum habendum est mandatis, serio iniungitur, ut quantocius istiusmodi miseris, quacunque ratione strangulatis, suffocatis, aut submersis, efficacissima, quibus resciantur, adhibeantur remedia, nullis de iurisdictione litigationibus, aliisque exceptionibus, aut diffamationis opprobriis, idque genus friuolis impedimentis protrahenda.

Ita in omnes homines, omnesque hominum conditiones, iure suo dominatur medicus; sed in ipsas quoque ciuium facultates ipsi ius competere, vix opus est commemorare, cum neminem facile latere arbitrer, medicis ferale solum petentibus, si quidem vel a morosioribus heredibus denegetur, iura haec, laborum suorum praemia poscendi et accipiendi, prae aliis salua manere, vel, si super defunctorum facultatibus concursus creditorum ortus fuerit, medicum superiorem tenere locum, atque ipsius iura, omnibus, quorumcunque demum creditorum iuribus, per ipsas leges potiora censerit. **) Complura alia ut ne commemor-

*) In *Programmate, de mortuis curandis*, anno 1770. edito.

**) Vid. *Erläuterte Proceßordnung* de anno 1724 ad Tit. XLII, §. 4.

memorem iura, solis medicis, propter officii sui et nobilitatem, et necessitatem competentia, tum antiquioribus temporibus ipsis concessa, tum posteris seculis, ipsorum principum et magistratuum autoritate stabilita, adeo praestantia, ut vel solis his constare possit testimoniis, quam honorifice de ipsorum sentiendum sit dignitate, et quam sit iniquum, ipsos adeo illustri priuare velle principatu.

His iuribus in posterum frui constituit, qui commendandus nunc est

VIR PRAECLARISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS

DOMINVS

HENRICVS NVDOV,

ARTIVM LIBERALIVM MAGISTER, ET MEDICINAE
BACCALAVREVS DIGNISSIMVS,

quae se, non solo Doctoris titulo, sed doctrinae vbertate promereri velle, compluribus coram Ordine nostro editis probatissimis specimenibus edocuit. De vita vero sua, atque laudatissimo studiorum suorum cursu, ita ad me scripsit:

Natus ego sum Gedani decimo octauo Maii, anno huius seculi quinquagesimo secundo. Patre vsus sum *Ioanne Carolo*, Senatus ciuitatis palaeopolitanae Gedanensis scriba, praematura morte mihi erepto, matrem tamen superstitem laetor *Agatham Eleonoram* gentis *Grischouiae*. Patre vero orbatum, paterno amore amplectus est matertera maritus S. R. *Kelzius*, ad aedem Mariae Pastor, cui inter multa alia beneficia, et primam institutionis curam in acceptis refero. Verum et cum ille post quinque annos morte exstingeretur, disciplinae traditus sum Reclitoris Scholae Marianae *Mündeln*, iam *Koefenmarkii* pro-

pe

pe urbem sacra facientis. Qui postquam cum matre mea inito coniugio, mihi quoque propiori necessitudine iungeretur, in omni institutionis et beneuolentiae genere tam praeclare de me meruit, vt omnem huius viro vitam profitear obstrictissimam. Inter reliquos Scholae huius praeceptores gratus agnosco sollertiam *Kallhoferi*, *Schulzei* et b. *Welcheri*.

Anno Sexagesimo octauo in Gymnasium patrium academicum delatus fui, in quo sanctioris doctrinae capita hausi a b. *Berlingio* et *Verpoortenio* Viris summe Reuerendis. In Historicis Consultiss. *Gralathum*, in physicae et medicae doctrinae elementis *Exper. Sendelium*, in philosophicis b. *Hanouium*, in mathematicis b. *Kühnium*, in geographicis et rhetoricis b. *Wernsdorffium*, in graecis denique Ampl. *Groddeckium* praeceptores habui. Quorum ego virorum praelectionibus ad annum usque LXXII. interfui, quo demum ad academiam Lipsiensem accessi, Rectore Illust. BOHEMIO. Itaque in logicis, metaphysicis, in philosophia morali et Anthropologia audiui Exc. PLATNERVM, cuius ego et priuatissimis institutionibus in logicis et metaphysicis usus sum, in historia Philosophiae Ven. BYRSCHERVM, in iure naturae SAMMETVM Vir. Consult. in Mathesi Praecl. BORZIVM, in Archaeologia Sum. Venerab. ERNESTIVM, in physicis experimentis et Magia naturali Ampl. FUNCKIVM, in electricis experimentis *Exper. LUDWIGIVM*, in Naturae historia Ampl. LESKIVM, in historia veterum et recentiorum poetarum Ampl. CLODIVM, nec non in antiquorum auctorum lectione, quibus adiunxi Ampl. ZEYNIUM et Praecl. HEBENSTREITIVM Ab. Ampl. eccio historiam litterarum nostri temporis accepi. In scholis Spectatiss. MORI graeca vltterius persecutus fui, non neglecta denique franco gallicae et anglicae linguae institutione.

Medicinae autem causa, cui ego vitam meam omneque studium deuouissim, scholas adii *Exper. LEONHARDII* iun. Chemiam experimentalem, pharmaciam, materiam medicam et physiologiam docentis, qui etiam paulo post vniuersae medicinae curriculum

XVIII

sum docuit, quibus etiam adidi eiusdem Viri exercitationes disputatorias et examinatorias. Ab *E. per. POUILLO* iun. botanicam vniuersam accepi, quam in priuatissimis scholis ad salutarium inprimis plantarum notionem accommodauit. *Exc. HAASIVS* Anatomem, Physiologiam, artemque subtiliter secandi me docuit, a quo et materiam medicam priuatissime percepi, in cuius et collegio pragmatico socius exstiti. *Exc. GEHLERVS* obstetriciam artem, et in priuatissimis scholis grauidarum atque puerperarum morbos mihi exposuit. *Exc. KRAVSIVM* pathologiam, therapiam generalem, clinicam medicinam, nec non publice theoriam suam inflammationis docentem audiui. *Excell. BOSIVM* in vniuersa anatome, physiologia, et forensi medicina veneror ducem, qui etiam cadauerum incidendorum et nosodochii publici visendi copiam liberalissimè fecit; cuius quoque exercitationibus priuatis interfui. *Excell. ROHLII* Senioris Facultatis medicae grauissimi scholas disputatorias atque examinatorias frequentauit. *Magn. PLAZIO* Ordinis Medicorum Decano, cuius ego et hospitio et beniuolentia singulari fruius sum, in lectionibus de historia medicinae, viribus medicamentorum, et formularum scribendarum ratione auditor affedi, aequè ac in collegio disputatorio sodalis. *Magnif. b. LUDWIGII* tanti illius viri, proh dolor! non audiendi sed visendi tantum felicitas mihi data fuit, eo ipso anno quo ad Academiam accesseram rebus humanis defuncti. Anno LXXIV. mense Novembr. primos in arte medica honores a Gratiofo Ordine impetraui. Paulo post Collegii *B. stani* interpres, *Exper. Deutrico* summos honores gratulatus sum Epistola *de Natura Embryonis humani*, Mense Ian. a. f. amicissimo *GRADIO* populari meo, Magistri dignitatem germanico libello *de sede animi*; Mense vero post d. XV. et ego Magister artium renunciatus sum, illo ipso *Magn. PLAZII* Festo semiseculari. Mense Aprili pro facultate summos in medicina honores petendi lectiones recitaui *de Somno* ad ductum libelli eam in rem editi.

Anno eo iam expirante, *D. ssauiam* et *Berolinum* profectus sum, quae res et propter valetudinariorum opportunitatem valde mihi

mibi utilis, et propter tot Celeberr. viror. *Besedouii, Ramleri, Mosi Mendelsohni, Byschingii, Telleri, Martini, Gleditschii, Möhseni, Waltheri, Henkelii, Schmuckeri, et Thedenii* beneuolentiam valde iucunda fuit.

Nunc vero Lipsiam redii, et Mense Aprili practico examini me submisi. Haec igitur sufficiant de studiorum et vitae meae huc usque ratione, cuius pleraque fuerunt amoena et fructuosa. Omnibus vero ac singulis, qui mihi vel disciplina, vel humanitate et exemplo utiles fuerunt, animi gratissimi sensum sanctissime his publice spondeo.

Nihil his ut addam superest, quam quod in altero *rigorosiore* *tentamine* ita optime responderit, vt communibus suffragiis dignus censeretur, cui summi tribuerentur honores, quorum capiendorum ergo, suam eruditam admodum inauguralem Dissertationem, Moderante Excell. *POHLIO*, grauissimo Ordinis nostri Seniore, supra *animaduersionibus de contagio*, publice tuebitur.

Certamine hoc finito, praemiis quoque exornandus erit Candidatus noster, ipsi a me, ad solennitatem hanc clementissime constituto Procancellario impertiendis. Festiuitati huic dicta est proxima *Veneris* dies, *XVII. Maii*, qua ipsi Licentiam tribuam, summos Doctoris in medicina honores, una cum iuribus, ad illos pertinentibus, capiendi, ante vero;

desideriam sermone breui damnare studebo.

Rogatos eapropter, obseruantissimis atque humanissimis precibus cupio, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, COMITES ILLUSTRISSIMOS, GRAVISSIMOS VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, nec non GENEROSISSIMOS ATQUE NOBILISSIMOS VNIVERSITATIS HVIVS LITERARIAE CIVES, vt hunc actum frequente sua praesentia honorare haud grauentur, certique

XX


confidant, me iuribus differendi ita esse usurum, vt ne prolixiore oratione ipsis grauis sim, maxime vero officii mei, in publicis gratiis, pro insigni hoc fauore et beneuolentia, Ordini meo mihiq̄e tributa, decernendis, fore memorem.

P. P. Dominica post Paschatos festum quinta,
Rogate dicta, A. R. G. MDCCLXXVI.

LIPSIÆ

EX OFFICINA LOEPERIA.





Ula 1612. 8

2

ULB Halle 3
003 856 135




56.

VD 18

VD 17






25

27

MEDICORVM
 SITATE LIPSICA
 H. T
 NCELLARIVS
 GVILIELMVS PLAZ
 FACVLT. MED. DECANVS,
 AXON. SENIOR, DECEMVIR, MAIOR,
 GA, ACAD. IMPERIAL. NATVR.
 IOS. SOCIVS
 IN MEDICAM
 I A. R. G. MDCCLXXVI.
 DICIT
 ICORVM PRAEFATVS



Farbkarte #13

B.I.G.

